B. N. C
FIRENZE
1019
7

1019.7

XXXI
OANNAL.
Sacr: Tabern.
1507

1019.7

THEOREMATA
DE SACRI
TABERNACVLI
STRVCTVRA,
ET APPARATV.

Quę à IOANNE Ioannalio Monacho Vallimbroſano Congeſta.

Per eundem Publicè diſputanda proponuntur.



FLORENTIAE
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXVII.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. ALEXANDRO MEDICI S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALI AMPLISSIMO.

Nec non Florentinorum Archiepiſcopo Vigilantiſsimo.

IOANNES IOANNALIVS MONACHVS VALLIMBROSANVS.

QVOD habitam à me de laudibus almi P.N. Ioannis Gualberti obſcuram orationem, pro ſingulari animi tui candore, atque magnitudine paſſus es; Alexandri Medicis nomen præferendo mirabiliter illuſtrari: ornaſti me quidem (Cardinalis Ampliſsi-

me) ac me tibi maximopere deuinxiſti. Sed quantus inde meo bonarum artium deſiderio cumulus acceſſerit; & nouarum elucubrationum quam id in me (vt ita dicam) ſemen feraciſsimum fuerit; nec ego verbis exprimerem; nec facilè quiſquam cogitatione aſſequeretur. Ne autem ſemen hoc, quod à tua ſingulari humanitate veniebat, arenæ penitus commiſſum videretur; contuli me ad Philoſophorum, Theologorumque placita ſedulò euoluenda: Idque feci ductu, & auſpiciis Reuerendi Patris Domini Columbini de Alſiano, quem mihi ſemper; ſicut pio Aeneæ maternam Columbam; cælitus allapſum exiſtimaui; vt eo duce, aureum virtutis ramum aliquando capeſſerem. Hic mihi auctor fuit, vt de nodoſis quæſtionibus, pleniſque perplexitatis publicam diſputationem inſtituens, ſpecimen aliquod mei ſtudii, atque vigiliarum in lucem proderem. At ego diuinis ſacrorum Bibliorum oraculis, quæſtionem omnem, omnemq; controuerſiam in ſacro fæderis Tabernaculo dirimendam,

enodan-

enodandamque didiceram. Erat enim Tabernaculum à Moſe ex Dei mandato ea ratione conſtructum, vt totius vniuerſitatis ſpeciem planè referret, & vt Hebræorum quiſquis lites, aut controuerſias haberet vllas, ad Tabernaculum egrederetur: ibi enim, vt in loco huic muneri deſtinato, cauſę omnes definiendę erant. Itaque cùm primùm multigenas haſce quæſtiones diſcutiendas in publicum dare conſtitui, ad ſacri Tabernaculi apparatum, ſtructuramq; conceſsi. Iamq; de ſingulis Tabernaculi partibus (vtut iuueni annos nato vix 22. licuit) excerpſi Theoremata nonnulla diſputanda. Quę cum ex te (Pręſul integerrime) vt ex fonte manarint; tibi ipſi, nulli alii debentur; niſi velimus eum metere, qui ſementem non fecerit: quod quàm iniquum ſit, quis non videt? Accipito igitur (Cardinalis Illuſtriſs.) atque ea vt tuo tibi iure debita poſsideto Et quod hic tuas veras laudes (vt in cæterorum more poſitum eſt) non complectar; ſic habeto, id factum à me eſſe, ne cum de illis tecum agerem, pudori tuo onus imponerem; tùm

quia

quia nondum didici Iliada nuci (vt aiunt) includere, & ingentes animi tui dotes anguſtæ paginæ commendare. Confirmet Deus noſtram omnium tranquillitatem, incolumitatem tuam ad ſummos honores euehendo, & ad longiſsimos humanę conditionis terminos prorogando. Ex Paſiniani cœnobio kalendis Aprilis. MDLXXXVII.

Amplitudini tuæ

Deditiſsimus

D. Ioanne. M.V.V.

THEO-


TYPVS SACRI TABERNACVLI
IN TABERNACVLO TVO A CONTRADICTIONE LINGVARVM PROTEGE ME DOMINE
אפרים
מנשה
בנימין
גרשם
דן
קהתי
מררי
שמעון
אשר
ראובן
נפתלי
זבולן
אהרן
יששכר
משה
יהודה

THEOREMATA DE SACRI TABERNACVLI STRVCTVRA, ET APPARATV.

QVAE A IOANNE IOANNALIO Monacho Vallimbroſano Congeſta, per eundem publicè diſputanda proponuntur.

PROPOSITIO.

Et omnis populus qui habebat aliquam queſtionem egrediebatur ad Tabernaculum. Exodi Cap. 33.

VASTISSIMAM hanc rerum omnium vniuerſitatem tribus, & quidem potiſſimis, inſignioribuſq; partibus integrari, conſtans eſt totius antiquitatis ſententia. Angelicam primò, proximè cæleſtem, poſtremo ſublunarem portionem expoſuere nonnulli. Nos verò ex admirabilis Tabernaculi Exodi 25. ſtructura, & compoſitione edocti, non incongruè forſan, primas Beatis illis ſpiritibus triumphantis Eccleſiæ, proximas in Eccleſia militantibus, poſtremas rebus ortui, interituiq; ſubiectis aſcribemus. Huiuſce expoſitionis, quam video D. Hieronymo in proæmio Galeato non diſplicuiſſe, rationem longius enarrando repetere, non eſt conſilium. Id tamen quò fiat dilucidius; De ſingulis

gulis Tabernaculi partibus, De triumphanti ſcilicet, Militantiq; Eccleſia; Deq; ortu, interituq; rerum diſputationes inſtituemus, hæc de illis Theoremata proponentes: Vt quiſquis quæſtionem vllam habuerit, ad hoc Tabernaculum egrediatur. Ac primò.

DE EXEMPLARI TABERNACVLI, SIVE DE MVNDO ARCHETYPO.

Fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. Exo. 25.

2 DEVM eſſe vt primam rerum omnium cauſam, eſt ex natura rei per ſe notum; ex effectibus tamen demonſtrari poteſt, ſicut & cætera attributa in eo ſola ratione diſtincta. Cæterum vt Beatificum obiectum, neceſſe eſt accedentem ad Deum credere quia eſt; & quia prædiſtinatis (ſi mandata ſeruauerint) ſupernaturalem Beatitudinem redditurus eſt.

Deo tantùm conuenit eſſe infinitum, maxime vnum, nulla vel tenui compoſitione conſtantem, nullo genere clauſum, ſibi ſoli compræhenſibilem, à nobis innominabilem, (quamuis ineffabilis eius eſſentia nomine expreſſa eſt) modis omnibus, ſed eminenter, omniſcium, infallibiliter, illęſa rerum contingentia, arbitriiq; vertibilitate. Videt tamen primò ſe, vt adæquatum, & formale obiectum: alia verò non niſi in ſe Deo. Et omnium propriam exiſtentiam habentium diſtinctam habet Idæam, quæ eſt diuina eſſentia alio alioq; modo imitabilis à creatura. Idæa autem cum Scientiæ, Potentiæ, Voluntatiſq; concurſu, eſt libera rerum omnium cauſa.

3 Tres erant vnius Tabernaculi partes; quia cum ſumma vnitate eſſentiæ nec genitæ, nec gignentis ſtat Trinitas Perſonarum à ſe inuicem ſubſiſtentia diſtinctarum: Patris ſcilicet innaſcibilis, Filii per actum intellectus à Patre geniti, Spiritus Sancti per actum voluntatis ab vtroq; procedentis. Itaq; intellectu, & voluntate ſecluſis non eſſet proceſsio. Spirandi verò poteſtas Spiritui Sancto, & generandi poteſtas Filio cōmunicari nō poteſt; cum ſolam nominet relationem, eamq; oppoſitam, & realem: in quibus, quaſi in diſtinguentibus-conſtituentibuſq; perſonas, non eſt communio. Nomen quoq; Perſonæ in diuinis commune eſt ſecundum rationem, vt indiuiduum vagum: At Deus ſecundum rem; & ſemper pro habente Deitatem ſupponit; vel pro perſonis, indiſtinctè ſaltem.

Menſe primo, prima die menſis erigetur Tabernaculum. Exo. Cap. 40.

4 AB hoc fœcundiſsimo Principio per creandi potentiam nulli creaturæ, nec vt inſtrumento communicabilem, omnia effectiuè in prima mundi conſtitutione procedunt. Valde quidem bona; quæ tamen longè plura facere poteſt; Non tamen infinita actu, nec mole, nec numero, nec virtute, nec perfectione: non ex defectu diuinæ omnipotentiæ; ſed quia creaturæ repugnat. Hanc emanationem creationem appellant: quam nec Auerroes, nec Ariſtoteles inficiatus eſt: nec credidit vnquam ſe mundi æternitatem demonſtratiua ratiocinatione confeciſſe.

DE INTIMA PARTE TABERNACVLI.

Poſt velamentum erat Tabernáculum, quod dicitur ſancta ſanctorum. Heb. cap. 9. Cœleſtis ſcilicet Hieruſalem: iuxta D. Auguſtinum.

Impleatur viſio, & vngatur ſanctum ſanctorum. Dan. Cap. 9.

5 QVANQVAM in finem ordinata ſunt omnia; Homo tamen ſpeciali quodam ordine ad Beatitudinem inſtitutus eſt, ad beatificam ſcilicet diuinæ eſſentiæ viſionem in illa cæleſti Hieruſalem. Quamuis enim Deum ſecundum eſſentiam nemo hic de communi lege videre poſsit; poterit tamen tunc illuſtratus lumine gloriæ, quod erit in pluribus diſpar. Hanc ſiquidem Beatitudinem voluntas non neceſſariò vult; ſed naturaliter tamen quantum ad ſpecificationem fertur in Beatitudinem vagè: & Deo viſo, dum videt, adhæret neceſſariò; liberè vero antecedenter, antecedenti ſcilicet libertate confirmata, perfecta, ac proinde neceſſariò continuata.

DE PROPITIATORIO.

Pones & Propitiatorium ſuper Arcam in ſancta ſanctorum. Exo. cap. 25. quod D. Paulus de Chriſto expoſuit.

Quem poſuit Propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. Rom. 3.

6 AD humani lapſus reparationem congruentiſsimè miſit Deus verbum ſuum, (quod non feciſſet, niſi hominum, & Adæ pec

cauſam rigore iuſtitię purgandum fuiſſet) qui humanam Naturam, carnem quidem mediante Anima, & totum mediantibus partibus, in inſtanti tamen aſſumeret; Non autem perſonalitatem, quæ eſt quid poſitiuum abſolutum, intrinſecum ſuppoſito, & ipſum in vltimo termino conſtituens. Huius aſſumptionis terminus primò, & per ſe eſt Verbi proprietas. Vnio verò fundamentalis eſt quid abſolutum, ſubſtantiale de nouo factum, identificatum Naturæ, & Perſonæ. Tantaq; fuit hęc vnio, vt CHRISTVM fuiſſe creaturam, vel hunc hominem cœpiſſe eſſe falſa ſint; cum in CHRISTO ſit tantùm vnũ eſſe, vna realis filiatio; & Deus ſit homo per ſe. Hinc CHRISTI prædeſtinatio non eſt ad eundem terminum primò, ad quem cæteri prædeſtinantur. Cum ergò Deus ſit homo, & homo Deus; Humanitas CHRISTI, Crux, & Imagines, ratione repræſentati, Latriæ adoratione venerari debemus: quanquam Latrię, Duliæ, & Hyperduliæ diſtinctio non tàm ex vi nominis, quàm ex vnanimi Patrum conſenſu proficiſcitur.

7 Hic ab inſtanti ſuæ conceptionis eam omnis gratiæ habuit plenitudinem, quam animæ capacitas, & natura gratię pateretur: paſſa eſt autem tantam, quantam Diuino verbo vnitam animam pati decuiſſet. Sola tamen vnionis gratia, qua parte Verbum includebat, infinita erat. Hinc donorum omnium, virtutum, ſcientiarumq; munera in beatiſsimam illius animam dimanarunt: omnipotentia, & infinitorum actuali cognitione notata. Hinc dicitur Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech; qui & ſibi, & nobis (licèt non eadem) multa promeruit. Seipſum enim, ſuaſq; offerens orationes, ſemper exauditus eſt pro ſua reuerentia.

8 Iure igitur conſtitutus eſt mediator Dei, & hominum, & Propitiator pro præuaricatione Adæ: pro qua cum purus homo ſatisfacere non potuiſſet, ſubiit CHRISTVS vicem noſtrã, paſsiones omnes, & defectus, qui ad opus noſtræ redemptionis conferebant, aſſumens: & prætereà nullum. Nouiſsimè omnium Cruci appenſus ſufficienter Deo Patri pro omnibus nobis ſatisfecit, humano, & acerbiſsimo humanorum omnium dolorum dolore confectus. Anima demum realiter ad vſque inferni clauſtra penetrauit, & poſt ad dexteram Patris aſcendit. Vbi ſuper alata Cherubim ſedet interpellans pro nobis. Ipſe enim eſt Propitiatio pro peccatis noſtris.

DE

DE CHERVBIM MANV TENENTIBVS PROPITIATORIVM.

Duos quoque Cherubim aureos facies, quæ vtrunque latus Propitiatorij tegant Exo. cap. 25. De quibus vaticinatus eſt etiam Dauid.

Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te. Pſal. 90.

9 INTER omnia creata Angeli per ſolam potentiam in Deo corruptibiles, immateriales, & ſub eadem ſpecie non multiplicabiles conditi ſunt: Deum, & ſeipſos per ſuam eſſentiam: cætera omnia (præter humanos cogitatus, & futura contingentia à libera voluntate) in concreatis ſpeciebus, extrinſecus infuſis, diſtinctè plura repræſentantibus intelligentes. Omnia ſimul in verbo quidem, non autem in ſpeciebus; niſi quæ per vnam ſpeciem repræſentantur. Hi propriè nec in loco ſunt vllo, nec per loca mouentur; niſi quia eorum operatio, vel circa quod operantur eſt in alio, alioq; loco: Et in rei cuiuſuis electione ſunt naturæ ſemel tantùm vertibilis: ideo & ſi in gratia creati ſint omnes, & in primo inſtanti actum meritorium habuerint; ſed deficientem à ratione meriti,quia non fuit proprie illorum actio; in ſecundo tamen inſtanti per propriam operationem elicitam, quidam Deo immobiliter adhærunt, & in bono confirmati ſunt: Alii vero ex inconſideratione Beatitudinem in ſe, non Dei æqualitatem expoſcentes (niſi forſan implicitè) malo inuertibiliter adeò aſſenſerunt, vt nec morale bonum agere poſsint.

10 Angelorum ſubſtantia, ſicut & animæ intellectiuæ, & cœli menſurantur quo: quod ſecundum ſe vnum eſt, nullam habens ſucceſſionem, à primo Æuiterno ſola ratione ſeiunctum. Materialiter verò multiplicationem admittit:quin comparando ad temporis coexiſtentiam, plura ſunt, & non ſine ſucceſsione. Operationes autem (Beatificam viſionem ſemper excipio, quæ cuius cuius ſit æternitate participata menſuratur) tempore vel continuo, vel diſcreto (vtroq; tamen tranſcendenti) metimur.

DE CORONA EX LIRA: BEATA .S. VIRGINE.

Facieſq; ſuper Arcam Coronam auream. Exo. cap. 25.

Mulier diligens Corona viri. Prou. cap. 12.

11 REGINA cœlorum MARIA ante partum, in partu, & poſt partum immaculata virgo de ſuis puriſsimis ſanguinibus, de

Spiritu Sancto in inſtanti concipiens,agenſq; nonnihil ad CHRISTI generationem (vnde & Dei mater dicenda eſt) Deum, & hominem cœlorum Regem nobis genuit. Cuius mater,filia, & ſponſa cœli regina ſyderea corona refulget. Apoc. 12.

DE ARCA EX BEDÆ SENTENTIA CHRISTIANA SCILICET ANIMA.

Arcam ex lignis Sethin compingite. Exo. 25.

Et apertum eſt cœlum, & viſa eſt arca in templo Dei. Apoc. cap. 11. Arca autem ſub pellibus eſt. 1. Paral. 17.

12 SVB Propitiatorio,& Corona eſt arca: cæterorum ſcilicet animæ. Eſt autem anima vltimus gradus, infimuſq; omnium intelligibilium, tota ſecundum eſſentiam in qualibet parte corporis informando, ſingulæ in ſingulis, per vnibilitatem ad materiam indiuiduatæ, pluribus potentiis organicis, & non organicis, ab anima, & à ſeipſis realiter diſtinctis inſignitæ. Vna tantùm in vno; non tamen vna forma in compoſito quolibet. Non poteſt autem corpori vnita à corpore vt ab obiecto non pendere: corpori verò vnitur propter melius compoſito: cui vnita habet eſſe perfectius;non tamen aliud, quàm ſeparata: quandò vnio eſt illi naturalis quantum ad terminum, licet non quantùm ad principium. Secundum autem ſui ſupremum naturalis eſt ei modus conuertendi ſe ad ſimpliciter intelligibilia, nec eſt pura potentia in genere intelligibilium: ſed hæc tunc primùm habet, cum intelligentiarum eſſe incipit participare. Et tunc cognoſcendo ſe per ſuam ſubſtantiam; tenendo locum ſpeciei quandoque, quandoque etiam obiecti; ſeparatarum animarum eſſentiam cognoſcit. At ad Angelorum cognitionem, ſicut & ad perfectam animarum; & ſimpliciter ad earundem exiſtentiæ cognitionem, eget ſpeciebus influxis: in quibus animæ non ſunt æquales,ſicut nec in naturalibus, quæ tamen inæqualitas non pendet à ſolo corpore;ſed etiam ab agente,& mediis in finem promanare conſueuit.

13 Primum autem ab anima cognitum eſt quidditas primi phantaſmatis in confuſo; primum vero quod de aliquo cognoſcitur eſt maximè vniuerſale. Singulare autem ex ſe nullo modo intelligit: Eius enim exiſtentia ſenſui plana eſt; Sorteitatem verò quis nouit? Ex ſenſus tamen colligantia nonnihil de ſingularibus iudicare poteſt intellectus;cuius nobiliſsimæ potentiæ intelligere eſt operatio hunc in modum cauſata. Vi intellectrice lata ſuper phantaſma, eius ſplendore ſola

re ſola rei materialis quidditas illuſtratur, per abſtractionem non rei cuiuſpiam; ſed per conſiderationem: & illa fit actu intelligibilis obiectiuè: qua facta formaliter intelligibili, fit intellectio, dum intellectus de quidditate iudicat. Primò ergò intellectus eſt in potentia vt ſit ipſum intelligibile; tum, cum oblatis phantaſmatibus, illis conuenientia confert, & ſpeculatur; ſimilitudinem vniuerſalem abſtrahit; & vi, ſplendoreq; ſuo fit ipſum intelligibile; eſtq; in potentia ad intellectionis actum ſecundum; ad quem per ſe ipſum ſpecie informatum, vt ſe toto primò reducitur, & vt nudus intellectionem recipit: vnde intelligere ſpectat ad Categoriam Qualis: Intellectum nanq; intelligere, & eſſe actu rem intellectam, tantundem valet. Hic intellectus (cuius obiectum eſt ens intelligibile; verum autem obiecti conditio; quamuis in hoc ſtatu illius obiectum ſit materialis quidditas) non poteſt informari pluribus ſpeciebus formaliter intelligibilibus. Ideo omnem intelligentem neceſſe eſt aut vnum, aut nihil intelligere.

14 Omnes autem potentias animæ Voluntas, quaſi Imperatrix, ac Regina mouet ad exercitium. Cuius voluntatis primus actus, vt ab agente, eſt à Deo, & à natura: voluntas enim agit actum illum, vt talis res, & non vt talis cauſa. Et quæcunq; voluntas vult, vult propter vltimum finem, non tamen propter finem vltimum Beatitudinem; ſed propter ſibi melius. Voluntatis verò, & appetitus actio ſpecificatur ab obiecto terminatiuè, à fine obiectiuè, à potentia ſola cum habitu effectiuè. Ex intellectu verò iudicante de bono, & ſic radicaliter libero; & voluntate eligente, & ſic formaliter libera, Liberum arbitrium conſtituitur. Sed hæc rationalis anima in penetrali Tabernaculi non erit; niſi prius teſtificationem, virgam, & mannam in ſe habuerit; licet huius aſſerundæ gratia ſit omnis Tabernaculi apparatus, & vniuerſa propter hominem condita ſint.

DE TESTIFICATIONE.

Poneſq; in Arca teſtificationem, quam dabo tibi. Exo. 25.

Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc. Pſal. 131.

15 LEx eſt rationis regula humanorum actuum directiua, ab eo, qui communitati præeſt, condita, & promulgata: quam bene partimur in legem æternam, naturalem, humanam, & diuinam. Aeterna eſt ſumma diuinæ ſapientiæ ratio, omnem creaturæ motionem dirigens, omnibus per irradiationem nota, & legum omnium regula.

regula. Naturalis eſt lumen ſuper nos in creatione ſignatum,ad virtuosè agendum inclinans, indelebile, & vnum apud omnes; quæ licet identicè ſit lex diuina, non tamen formaliter. Humana vero dicitur, ea omnis, quæ ſeruandæ ciuilis pacis gratia ab homine conditur.

16 Lex autem diuina per veterem, nouamq; ſecatur. Vetus conſtat moralibus, cæremonialibus, iudicialibuſue præceptis. Moralia verbis decem expreſſa, ſunt iuris naturæ, & etiam à Deo indiſpenſabilia: in quibus charitatis modus non præcipitur; vnde nec iuſtitiam cauſabant ex ſe, ſed ad ipſam diſponebant ſolùm. Cæremonialia verò vmbram habentia futurorum ſenio interierunt per CHRISTI paſsionem; poſt quam, vt mortua ſeruata ſunt, donec ſynagoga ad ſepulturam cũ honore duceretur;nunc autem mortifera ſunt,ſicut & iudicialia. Iudicialia tamẽ ſicut,& cæremonialia illa,quæ de CHRISTO venturo, aut Iudeorum ſtatu nihil pronuntiant;ſed ſolam Dei reuerentiam ſpectant; ab Eccleſia aſſumi poſſunt. At Lex noua perpetuò duratura ;ſecundum id, quod in ea potiſsimum eſt, in cordibus ſcripta, veterem adimplet; & ea longè leuior eſt; fideles iuſtificat, & neceſſaria ad Spiritus Sancti gratiam conſequendam ſufficienter in Euangelio præceptis,& conſiliis omnia cauit.

DE MANNA SECVNDVM GLOSSAE, ET D. GREGORII EXPOSITIONEM.

In arca vrna aurea habens Manna. Heb. 9.

Et mane quoq; ros iacuit per circuitum caſtrorum. Exo. 16.

17 GRATIA eſt in Animæ eſſentia, illamq: ad ſupernaturale eſſe conducens. Abſque ea per nullam potentiam iuſtificatur impius: Primum enim in iuſtificatione impii eſt gratiæ infuſio; ſubinde motus liberi arbitrii in Deum, tertiò odium peccati, demum eiuſdem remiſsio complet iuſtificationis opus.Homo autem cum gratia poteſt ex condigno mereri vitam æternam; quam tamen niſi retribueret non eſſet Deus iniuſtus; quia inter hominem gratia præditum & Deum,vt primam cauſam mercedis, & meriti non poteſt eſſe condignum ſimpliciter. At homo in ſtatu naturæ integræ potuiſſet per ſua naturalia cognoſcere,& velle totum bonum naturæ ſuæ proportionatum,præcepta legis implere, Deum ſuper omnia diligere, perſeuerare item in bono ſi voluiſſet,cæleſtem tamen hæreditatem promereri non valuiſſet. Verùm in ſtatu naturæ lapſæ ſine gratia multa

moralia

moralia bona efficere, multa naturaliter ſcibilia cognoſcere; quin & ſupernaturalia aliqua, modò gratiam ſemel habuerit; ſecundum præſentem ſtatum Deum ſuper omnia diligere; præceptorum ſubſtantiam exequi; ſingula diuiſim peccata vitare, etſi non omnia; ad gratiam (quamuis de congruo tantùm) ſe præparare; non tamen à peccato reſurgere, nec cœleſtia tabernacula inhabitare poteſt. Sed in anima eſt ne potentia naturalis ad gratiam?

DE VIRGA POTESTATIBVS SCILICET: GLOSSA, ET D. GREGORIO EXPONENTIBVS.

In Arca virga Aaron, quæ fronduerat. Heb. 9.

Virga æquitatis virga Regni tui. Pſal. 44.

18 OMNIS poteſtas, atque Prælatio à Domino Deo eſt, cuiuſcunq; generis illa ſit; quamuis multi regnarint, & non ex Deo. Malitia tamen vſus, vel acquiſitionis à Deo non pendet. Sed ex hoc non efficitur, quin fidelis anima in aditus Tabernaculi aſſumenda fidelem obſeruantiam, & obedientiã pręſtare non debeat, diuinæ quidem legi infallibiliter; Prælatis autẽ, & ſecularibus Poteſtatibus, in quibus eis ſubditur. Subditur verò etiam in actibus interioribus, vt ſunt rationes, & principia exteriorum; Parendum præterea eſt humanis legibus æterna pœna munitis: & ſic gratia duce cæleſtes diuitias promerebimur,

DE ALTARI THYMIAMATIS.

Facies quoque Altare ad adolendum thymiama. Exo. 30. de quo Rex Propheta rogabat.

Dirigatur Domine Oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Pſal. 140. Phialę plenę odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum. Apoc. 5.

19 ORATIO: qua intellectus à Deo gratiam tantùm, vel gloriam, vel media ad hæc, ſiue temporalia fuerint, ſiue æterna, petere poteſt; Alia eſt communis, & vocalis; Alia ſingularis, quæ & mẽtalis eſſe poteſt: ſiue ſit viatoris, ſiue comprehenſoris; vel pro nobis, vel pro iis qui purgatorio igne torquentur. Peccatores autem orantes ſecundum deſideria peccati, vel ad vindictam exaudiuntur, vel eum orant, à quo non ſint miſericordiam conſequuturi.

Facies & Velum, quo & Sanctuarium, & Sanctuarij Sanctuaria diuidentur. Exo. 26.

Et hoc Velum templi ſciſſum eſt. Matth. 27.

20 COELVM cunctis corporibus prius,& honorabilius, conſtans ex materia,& forma; ſed inanimi; eſt vndecim generum. Primò enim eſt Luna,tum Mercurius,Venus,Sol, Mars, Iuppiter,Saturnus, Cælum Sydereum,Primum mobile,(& hucuſq; ducit naturæ ratio) Criſtallinum,& Empyreum Theologi adiunxerunt. Et Empyreum quidem immobile,& ſedes Dei lucet luciditate [illegible]. At nouem orbes inferiores naturaliter in orbem ſimplici [illegible] circumgirant,lumine ſuo,motu,& influentiis agentes in [illegible]feriora;nullæq; ſunt ibi poſitionum differentiæ. Infra Primum mobile rotantur omnes motu cùm proprio, tùm raptus. In cælis autem Planetarum alii ſunt orbes eccentrici,alii concentrici, alii quoq; (præterquam in vno ſole) epicycli.Stellæ verò ſunt eiuſdem ſubſtantiæ cum orbe, & earum ſcintillatio, quamuis iuuetur ex multis, propriè tamen pendet à motu cæli ſyderi. Atque omnes hi orbes Adæ peccato Militanti Eccleſiæ aditum præcludebant ad triumphantem; donec in paſſione CHRISTI velum templi ſciſſum eſt, ideſt, Portæ cæli reſeratæ ſunt.

DE SECVNDA PARTE TABERNACVLI.

Tabernaculum factum eſt primum, in quo erant Candelabra. Heb. 9. De Militanti ſcilicet Eccleſia.

Hieruſalem quę ędificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Pſal. 121.

21 MILITANS Eccleſia ſtatus eſt proficientium,atq; merentium ex aſsidua pugna cum hoſte.Quapropter ne currat quaſi in incertum,eget habitibus ad operandum, ſcripturis ad intelligendum, & myſticis inſtrumentis ad finem conſequendum. Fateor tamen hic etiam non deeſſe circularem, rectum, & obliquum contemplatiuæ vitæ motum: quamuis enim militans Eccleſia actionibus plus vacet, quàm contemplationi; contemplatiua nihilominus, vt quæ perfectior eſt,actiuam non impedit, nec impeditur ab ea.

DE

Facies & Candelabrum ductile de auro mundo. Exo. 25. per quod D. Gregorio virtutum habitus deſignari videntur.

Et ecce Candelabrum aureum totum, & ſeptem lucernę ſuper illud; quia in ſpiritu meo exęquabit gratiam gratiæ eius. Zach. 4.

22 POTENTIIS ſunt neceſſarii habitus, non ad ſubſtantiam, vel modum actus; ſed vt Potentias adiuuent, & diſponant. Eſt autem habitus vna ſimplex qualitas, cui ineſt relatio ad potentiam, & ad obiectum: Vnde Potentiæ vt ſunt quædam animæ vires, Actus vt in genere actionis, vel qualitatis: & habitus, vt qualitates diſponentes, ſuis intrinſecis formarum differentiis diſſociantur; Sed quà ſunt Ad aliquid, per actus, & obiecta diuiduntur. Virtutum verò, quarum eſt nouam rationem; non ſolam relationē habitibus ſuperaddere & potentiam non opere aliquo; ſed ſui appoſitione diſponere; aliæ ſunt infuſæ ſolæ videlicet Theologicæ, quarum obiectum eſt Deus, vt Beatificans ſupernaturaliter rationalem creaturam: Alię ſunt acquiſitæ, quæ ſiue morales, ſiue intellectuales ſint, in medio rationis ſitæ ſunt omnes, & ſibi inuicem connexæ. Verum enim intellectus practici eſt dirigere ſecundum conformitatem ad appetitum rectum: cuius rectitudo in agibilibus eſt rectitudo finis moralium, in factibilibus finis artificialium. Et manebunt omnes in Patria, demptis fide, & ſpe. Virtutibus autem animi motus indiuidui comites adhibentur ed vtrum purgatorias, purgatique animi virtutes ſuo quiſquam ſtudio conſequi valeat?

DE SEX CALAMIS, ET HASTILI CANDELABRI, DE SEPTEM SCILICET PRINCIPALIBVS HABITIBVS, VEL VIRTVTIBVS.

Sex Calami prodibunt de haſtili eius. Exo. 25.

23 FIDES ſiue formata, ſiue informis humano intellectui infuſa; cuius obiectum eſt prima veritas reuelata, nullo modo viſa, aut ſcita, niſi quia credibilis; eſt vnus habitus ſimpliciter, & intenſiuè ſcientia certior, ſimpliciter neceſſarius, vt aſſentiamus reuelatis ſecundum ſcripturæ, & Eccleſiæ ſenſum. Meritò igitur in ſolo catholico viatore reperitur, vt eſt ab Apoſtolo definita; licet acquiſitā, & coactam in hæreticis, & dæmonibus concedamus; Nec inficiemur ean-

dem cõcluſionem ſic eſſe ſcitam,& creditam,& opinatam. Et quamuis ſine fide impoſsibile ſit placere Deo;non tamen omnis infidelium actio peccatum eſt,quin in gentibus eſſe poſſunt veræ morales virtutes. Quod enim ait D. Paulus,omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, πίϛις eo loco ſignificat rationem dictantem quid ſit agendum, & illud ſuadentem.

24 Spes virtus eſt ab aliis diſtincta,qua ex gratia, & meritis expectantur æterna bona, obiectiua nimirum Beatitudo, vt connotat formalem:& in ſolis viatoribus inuenitur.

25 Charitas potiſsima voluntatis tanquam ſubiecti virtus eſt, & virtutum omnium forma,quam quolibet actu charitatis meremur augeri; & augeri poteſt in infinitum, ſicut & gratia; non per additionem, ſed per perfectionis extenſionem ad nouum terminum, talis enim extenſio intenſiua eſt. Diminui præterea nequit,niſi quo ad actum,vel feruorem;ſed per peccatum omninò tollitur. Hæc nunquam excidet ſiue prophetiæ euacuabuntur,ſiue linguę ceſſabunt,ſiue ſcientia deſtruetur. Sed eſt ne meritorium magis amicum, an inimicum diligere? Patrem,an Filium? Coniunctiores an meliores? Ordo .n. eſt in Charitate ſeruandus;licèt poſsim inæquale bonum ex charitate aliis aliiſq; deſiderare.

26 Prudentia eſt vna ſpecie ſpecialiſsima virtus, aliarum forma,& regula,non finem præſtituens; ſed medium inueniens; hec circa agibilia verſatur, & diuiditur per Politicam, & legum poſitiuam. Actus eius eſt præcipere; præcedat tamen oportet εὐβούλεια, σύνεσις, & γνώμη.

27 Iuſtitia eſt ſpecialis virtus circa operationes; perpetua ſcilicet, & conſtans voluntas ius ſuum vnicuiq; tribuendi. Et ſecatur in commutatiuam, & diſtributiuam; quarum vt non eſt eadem materia, ſic nec eadem ratio medii. Eius obiectum eſt Ius, cuius membra ſunt Naturale, & Poſitiuum; Gentium, & Ciuile; Paternum, & Dominatiuum, ſiue Δεσποτικὸν.

28 Fortitudo ſpecialis eſt virtus circa paſsiones iraſcibilis; & voluntatem rectificat impedimenta remouendo,timorem ſcilicet, & audaciam; quorum obiectum materiale quidem idem eſt,non tamen formale. Huic actus proprius aſcribitur ſubſtinere. Hinc Martyriū,quod quouis virtutis opere relato in Deum ſubiri poteſt,pro cuiuſcunque virtutis opere ſubeatur, ſemper eſt fortitudinis elicitiuè, charitatis imperatiuè,& fidei tanquam finis. Hic actus delectatione non vacat; quamuis enim delectatio non ſit propter opus,eſt tamen operi ratio,vt agatur. Et delectatio, & operatio ſemper ſumi debent coniunctim, vt vnus finis.

Temperantia

29 Temperantia virtus eſt concupiſcentiæ, vel delectationum tactus, & cæterorum ſenſuum, quà tactui communicant moderatiua: Quæ huic regulæ inniti debet; vt non amantis affectu; ſed indigentis effectu, quantum præſentis vitæ neceſsitas congruentiæ dictat, his delectationibus inhæreamus.

DE SEPTEM LVCERNIS.

Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper Candelabrum. Exo. 25. Septem dona ſpiritus Sancti (ſi D. Gregorio credimus) præſeferentes.

Vt notum omnibus eſſet, quoniam oportet ad ortum lucis te adorare. Sap. 16.

30 DONA Spiritus Sancti ab Iſaia enumerata, virtutibus quaſi quædam qualitates ſuperadduntur, & in patria remanent; licèt non quo ad omnes ſuos actus. Horum primum eſt Sapientia, quæ in intellectu diuinam iudicat veritatem. Fidei enim eſt aſſenſum præbere, ſapientiæ iudicare, ſic eſſe. Quæ quamuis ſecundum ſui ſupremum intenſiuum ſpectet ad gratiam gratum facientem; tamen ſecundū ſui ſupremū extenſiuū ad gratias gratis datas referenda eſt. Intellectus eſt gratiæ comes indiuiduus, qui nō tantū ſpeculatiuus eſt, ſed & practicus; efficitq;, vt qui fidem habent, negatiuè ſaltem intelligant ea eſſe credenda infallibiliter. Conſilii eſt Prudentiam adiuuare in ſupernaturalem finem; Fortitudinis, præſtare fiduciam pericula quæuis ſubeundi, euitandi, & ardua quælibet obtinendi: Scientiæ, ſcire quid credendum, vel non credendum ſit. Pietatis, paternum cultum Deo exhibere. Timor ſiue ſeruilis, ſiue initialis, ſiue filialis bonus eſt; Sed ſemper charitate creſcente minuitur quantùm ad actum timendi, creſcit verò quantum ad actum peccata vitandi.

DE LVMINIBVS A CALAMIS, ET LVCERNIS PRODEVNTIBVS: DE BONITATE SCILICET HVMANORVM ACTVVM.

Vt luceant ex aduerſo. Exo. 25.
Lucernę ardentes in manibus veſtris, vt luceant opera veſtra coram hominibus. Luc. 12. & Matth. 5.

31 BONVM ſecundum naturam in Ente fundatur, cum Ente conuertitur, & ab eo ſola finis ratione, & ordine ad appetitum diſtinguitur.

guitur. De ratione eius eſt, vt ſit ſui diffuſiuum, non vt ſe diffundat, quamuis bona omnia ſeipſa diffuderint. Hoc naturæ bonum poteſt eſſe malum ſecundum rationem: & tunc fit malum contrariè oppoſitum bono moris, & conſtituit Malorum ſpecies. Bonum verò moris eſt humani actus ad rectam rationem conformitas; priuatio autem eiuſdem rectitudinis eſt Malitia priuatiuè, quæ ſemper eſt annexa alicui actui; Cuius actus ſicut Deus eſt tantùm auctor, ſic Malitiæ eſt tantùm vltor. Non tamen inficior actus etiam in indiuiduo indifferentes, non ſolùm inuoluntarii (quales ſunt tantùm propter violentiam, ignorationem facti, & actualem obliuionem eius, quod habitualiter meminimus) ſed etiam deliberati. Actus autem interiores ſumunt ſpeciem à fine, vt eſt voluntatis obiectum: Exteriores autem ab obiecto: ſed prior ſpecies eſt formalis, poſterior eſt materialis. Hinc ſcripſit Ariſtoteles Eth. 5. Qui furatur, vt mæchetur, magis eſt adulter, quàm fur. Bonitas interioris actus reſpectu finis pendet ex ſolo obiecto; reſpectu mediorum concurrit etiam finis intentio: ſed conformitas ad conſcientiam, & ad Dei voluntatem in formali volito, aduocantur vt menſuræ rectitudinis. Bonitas autem exterioris ex fine non eſt alia, quàm interioris; ſed conſumata. Quæ verò ex obiecto eſt, & circunſtantiis, hæc propria eſt exteriori, ſicut illa interiori. Secundum autem bonitatem, vel malitiam moris, eſt Bonitas meriti.

32 Peccata verò; Humani ſcilicet actus contra rationem, & Dei legem, ratione priuatiuæ inordinationis ſecundum oppoſitos habitus ſpecie diſcernuntur: Sed ratione contrariæ inordinationis ſpeciem ſumunt ab obiecto, iuuantibus quandoq; circunſtantiis obiectiuuis ſpeciem ſæpiſsimè variantibus. Hinc peccatum diuiſum in Deum, Proximum: & Seipſum: Item in ſeptem capitalia; Rurſum in veniale, & mortiferum; Secundum exceſſum quoq; & defectum, in ſuas ſpecies diſpertitur: Aliter autem diuiſum, in membra diuerſorum graduum eiuſdem ſpeciei diuidetur. Per mortale (vltra corporales defectus, qui ſunt homini naturales) incurrimus reatũ pænæ infinitæ; nunquã tamen annihilationis; at per peccatum veniale, nec per ſe nec per accidens pœna infinita torquebimur. Et ſicut primus homo in ſtatu innocentiæ, ſic nunc quilibet venialiter peccare poteſt prius, quàm lethaliter. Cauſa peccati eſt cauſa deficiens, & per accidens ex parte cauſæ: in omni enim peccato præcedit error in ratione, tum eſt in voluntate conuerſio, demum auerſio. Ignorantia quoq; & ſi cum non eſt culpabilis à peccato excuſet; tamen eſt ſæpe cauſa peccati: Et ſi peccata ſint ex ignoratione iuris, erunt eiuſdem ſpeciei, ac ſi ſcienter fierent; ſecus ſi ſit ignoratio facti, vel priuet vſum rationis omnino; ſed voluntaria tantùm antecedenter.

DE

Facies & menſam,& pones ſuper eam panes propoſitionis, Exo.25. Per quam Gloſſa docet Sacram Scripturam & Theologiam ſignificari.

Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus omnes,qui tribulant me. Pſal. 22.

33 AD noſtri finis ſupernaturalis, & ſupernaturaliter proculdubio adipiſcendi cognitionem,neceſſaria eſt doctrina diuinitus inſpirata, quæ Theologia dicitur; & nobilitate ſubiecti, quod eſt Deus vt Deus; & διὰ τὴν ἀκρίβειαν in primis ponenda: & (ſiqua in nobis ſcientia eſt) perfectiſsimo modo ſcientia, vna, ſpeculatiua, nec ſubalternans;nec ſubalternata: ſufficienter habita in ſacra ſcriptura, Pontificum, Conciliorum, Apoſtolicarum traditionum,Catholicæ,Romanæq; Eccleſiæ infallibili auctoritati innixa; Cui humana quoque Philoſophorum ratio, iure pontificio conſultorum, hiſtoriarum, & ſcholæ communis auctoritas famulantur. Veneranda verò eſt potiſſimùm vulgata noſtra æditio; quã velle ad Græca,& Hebraica exemplaria expendere ſummum eſt incommodum. Sed ad illius veros, genuinoſq; ſenſus eruendos, apprimè vtilis eſt vtriuſque ſermonis cognitio.

DE SEX PANIBVS AD SINISTRAM POSITIS, QVI BEDAE LIBRI SVNT SACRAE SCRIPTVRAE.

Paruuli petierunt panem,& non erat,qui frangeret eis. Thren.4.

34 VNIVERSALIS ſcripturæ theſaurus in ſex potiſsimùm partes diſtribuitur. Legem, Prophetas, Pſalmos,Euangelia,Epiſtolas. & Acta, quibus annectitur Apocalypſis. Hi panes illi ſunt, qui Eccleſiæ itinera pergentibus proponi debent;& è quibus in fidei noſtræ ratione poſcentibus reddenda, ratio omnis ducenda eſt. Inter quos vt canonici agnoſcendi ſunt, Baruch,Thobias,Sapientia, Eccleſiaſticus,Libri Machabæorum,& Epiſtola D. Pauli ad Hebræos, & præterea quot quot Eccleſia recipit.

DE SEX RELIQVIS PANIBVS ECCLESIÆ NIMIRVM SACRAMENTIS; VT SENTIT D. GREGORIVS.

Quanti mercennarij in domo Patris mei abundant panibus. *Luc.* 15.

35 ORNATVR Eccleſia Sacramentis ſeptem; Sed vnum ante fores ſitum eſt, de quo mox. Eſt autem Sacramentum viſibilis forma inuiſibilis gratiæ, vt eius imaginem gerat, & cauſa exiſtat; re quadam ſenſibili, & verbis conſtans determinatis, ob noſtram iuſtificationem à CHRISTO inſtituta. Noua enim Sacramenta gratiam non modò ſignificant, ſed exhibent quoq; ex opere operato; quod antiqua non faciebant. Eſt enim in Sacramentis virtus quædam inhærens per modum fluentis, effectiua gratiæ, non inſtrumentaliter propriè: ſed efficientia quadam, quæ ad inſtrumentariam referatur. Inter gratias autem, quas conferunt, inſignis eſt character; virtus quædam de ſecunda ſpecie qualitatis, hominem ad diuina habilitans indelebiliter: Ita quod Baptiſma, Confirmationem, & Ordines; in quibus character infunditur; iterare ſummum nefas eſſet. Habent quoq; ſuum miniſtrum, cuius nulla moralis malitia impedimento eſt: modò intendat virtualiter ſaltem facere; quod Eccleſia facit: & non ſit malus miniſter formaliter; Secùs irritum eſt Sacramentum; ac ſi Miniſter abeſſet.

DE VELO ANTERIORI, CVSTODIENTE TABERNACVLVM.

Facies, & Tentorium in introitu Tabernaculi, *Exo.* 26. *De originali ſcilicet culpa Tabernaculi aditum impediente.*

Cum conuerſi fuerint ad Dominum, auferetur velamen. 2. *Corint.* *Cap.* 3.

36 QVONIAM ad hos ſex panes nemini patebat aditus, niſi ſe prius in labro, quod erat ante fores Tabernaculi mundaſſet, ideo de labro prius, & de Macula mundanda dicendum eſt. Deus igitur ab initio creauit hominem in naturalibus perfectiſsimũ; addiditq́, ei gratiam, & originalem iuſtitiam. Pati tamen poterat paſsiones omnes à naturali diſpoſitione non diſtrahentes: & Animæ vi diuinitus inſita ſine morte præuento corruptionis o[illegible] gloriam translatus eſſet. Ibi verò nullum triſte obuium ſenſibiliter receptum fuiſſet, vel

intellectu

intellectu ſedante paſsio ſuborta non foret: triſte enim ſecundum Deum nihil. Intellectus quoque ſimpliciter apprehendendo decipi non potuit; potuit tamen, ac de facto deceptus eſt ex inconſideratione ratiocinando: & tunc in voluntate ſubſequutus eſt error; Inde ſtatus innocentiæ amiſsio. Priùs autem hęc fuere, vel poſteriùs natura, non tempore. Hinc ſibi, & nobis originali iuſtitia perdita, in poſteros omnes originale peccatum per originem transfuſum eſt; quod nec eſt potentia, nec habitus, nec concupiſcentia, ſed originalis iuſtitiæ carentia cum debito eam habendi. Quamuis dici poſsit, inordinationem contrariam eſſe illammet, quæ fuit in Adæ peccato; in Adam quidem per modum actus, in nobis per modum habitus. Voluntarium autem eſt voluntate Naturæ, non Perſonæ; quia in doni huius conſeruatione Adæ voluntatem fecit Deus voluntatem naturæ. Quamobrem ab vtraq; Tabernaculi parte relegatus eſt homo, cui non prius dabitur ingreſſus, quàm ſe labro Baptiſmi, & ianua Eccleſiæ, atq; Sacramentorum ab Originis labe mundarit.

DE LABRO, VBI LAVABANTVR INGRESSVRI TABERNACVLVM. GLOSSA BAPTISMVM INTERPRETATVR.

Facies & Labrum ęneum ad lauandum, poneſq; illud inter Tabernaculum teſtimonij, & altare. Exo. 30.

Mundans eam lauacro aquæ in verbo. Ephes. 5.

37 IN Peccati huius potiſsimùm, & actualium ſecundariò redemptionem, inſtitutum eſt Baptiſma omnibus ſimpliciter ad ſalutem neceſſarium, ſaltem in voto: Non tamen paruulos ſaluabit parentum fides. Eſt autem Baptiſmus ſpiritualis regeneratio per aquam elementarem in verbis determinatis, vel ſynonymis iis. Sed in nomine CHRISTI, valuit ne Baptiſmus aliquando?

38 Robur auget Confirmatio, cuius Miniſter de iure diuino poſitiuo eſt ſolus Epiſcopus. Materia eſt Chryſma conſecratum. Forma, Signo te ſigno Crucis &c.

39 Euchariſtia dignitate cæteris præſtans, ac proinde panibus præfigurata ſpecialiùs, Sacramẽtum eſt, & Sacrificium corporis, & ſanguinis CHRISTI, ſub ſpeciebus Panis, & Vini (vbicunq; illæ exiſtant) manentis, quoadusq; ſub illis panis ſubſtantia maneret, ſi ſubeſſet; nõ quandiù manent ſolæ dimenſiones. Materia eſt panis triticeus, forma, Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei: Quæ verba

non ſolùm recitatiuè; ſed ſignificatiuè à Sacerdote proferuntur. Et tunc in inſtanti ex panis, & vini ſubſtantia, tanquam ex termino à quo per tranſubſtantiationem fit corpus CHRISTI, tanquam terminus ad quem, remanetq; quantitas ſine ſubiecto; cætera verò accidentia probabile eſt in hærere quantitati. Sub vtraq; autem ſpecie, & ſub qualibet eius particula eſt totus CHRISTVS modo quodam ſacramentali. Cæterùm vt ſacrificium per modum redemptionis, & prætii prodeſt viuis. Defunctis verò per modum orationis, & ſuffragii. Ex ſe quidem propitiatorium, ex ſe quoq; ad peccatorum, criminumq; deletionem ordinatum; cuius effectus nec à bono miniſtro fit maior, nec minor à malo. De ratione autem eius eſt ſumptio, alioquin erit oblatio ſola.

40 Pœnitentiæ materia ſunt actus pœnitentis. forma. Ego te abſoluo &c. Quæ & ſi non ſemper deleat peccata omnia quo ad reatum; delet tamen omnia quo ad culpam. Quod enim non remitti dicitur neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro. Vel non relinqui hoſtiam pro peccato, & alia id genus, indicant, non quid fiat; ſed quid nos mereremur vt fieret; vel quid fiat, non quid fieri poſsit. Pænitentiam integrant Contritio; Confeſsio, & Satisfactio. Contritio ad omnia, & ſingula virtualiter ante confeſsionem; ſed in confeſsione formaliter quoq; terminari debet; & ſæpe Dei munere, & clauium virtute fit ex attritione. Confeſsio ſecreta fit oportet; nam & audiendi peccata reuelare naturali, & diuino iure inhibitum eſt: & confitens ſi per epiſtolam, vel internuntium confiteretur, confeſsio quidem eſſet; ſed Sacramentum non item. Confitenda verò ſunt ſingula (numerus enim circunſtantia non eſt, cum non circunſtet vnum actum) peccata mortalia diuerſarum ſpecierum, itidem circunſtantię ſpeciem variantes. Satisfactio demum conſequitur, quam vel hic, vel in Purgatorio pro reatu temporalis pęnę luimus. Quod ſi hic imponantur opera etiam aliàs debita, niſi gratia informentur, nihil merebimur, nec reuiuiſcent opera illa, etiam ſi peccator ad cor redierit: fit tamen ſatis præcepto de adimplenda ſatisfactionem. Poteſt quoque vnus pro alio ſatisfacere; & iuuant pręterea ad hoc Indulgentiæ; quæ de CHRISTI, & ſanctorum meritorum theſauro proficiſcentes; licèt piam exigant cauſam, vt concedantur; non tamen ſecundum operis menſuram largiendæ ſunt. Sumi quoque poſſunt pro mortuis, quibus proſunt ſecundum miſericordiam diſpenſantis Dei: & ab iniungendis abſoluunt, & ab iniunctis.

41 Extrema vnctio eſt quinto loco. Sexto vero ſunt Septem Ordines, nam Epiſcopatus propriè non eſt ordo. Epiſcopus nihilominus eſt proprius ordinum miniſter; & ſi liceat Abbatibus ſuos Mona-

chos

chos quatuor minoribus initiare.

42 Matrimonium demum, non quodlibet; ſed ſecundum nouæ legis præſtituta Sacramentum eſt à CHRISTO inſtitutum, gratiamconferens. Miniſter eſt Sacerdos. De Materia, autem, & forma, cum nihil definierit Sacroſancta Tridentina Synodus noſtrum non eſt in vllam partem decernere. Præſtat tamen virginem eſſe, cui Aureola Menſæ Corona deſtinata eſt.

DE COLVMNIS, ET VARIIS VASORVM GENERIBVS AD DIVINVM CVLTVM PERtinentium; ſecundum Bedam, & D. Gregorium: De variis videlicet fidelium ſtatibus.

Vt ſciat vnuſquiſq; veſtrum vas ſuum poſſidere. p. Thes. 4.

43 CIRCVMAMICTA eſt Eccleſia ſtatuum, officiorum, & graduũ varietate; ad perfectionem, actionem, & decorem; Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. In ſtatu perfectionis ſunt ſoli Religioſi, & Epiſcopi; in quorum medio ſedet Pontifex; cuius tanta eſt auctoritas, quanta ad continendos Chriſtianæ Reipublicę ciues in fide, religione, & officio eſt neceſſaria. Sine quo Concilium inualidum eſt; Nec poteſt errare, cùm de fide pronuntiat: Non tamen omnia Pontificum dicta, quaſi Pontificia Decreta audienda ſunt. Sed licet Ioannes plus Petro à Chriſte dilectus eſſet Petro tamen ſubditus erat. Ad Epiſcopatum verò licèt præferendus ſit Theologus Iuriſperito; non tamen meliorem eligere neceſſe eſt; ſed bonum, & aptum. Horum mũnus eſt Animarum cura conſumare, & perficere. Religioſi demum, & inter hos Monachi, qui optimam partem elegerunt; & illi meliorem, qui ſuper contemplatiuæ, quàm ſuper actiuæ vitæ operibus fundati ſunt; ex Dei puro famulatu ad amabilem perfectionem vniuntur; de cuius perfectionis ſtatu nihil minuit publicos habere loculos. Status hic Religioſorum à Chriſto inſtitutus, eſt licetq; ei prædicare, docere, animarũ curam gerere; & egentis proximi onera portare, etia n ſecularibus negotiis ſe immiſcendo.

Proximus ſtatui perfectionis eſt ſtatus Præsbiterorum illuminatiuus, & lucidatiuus; quibus, & ſi curati ſint, præſtant adhuc Religioſi etiam ex operis genere. Archidiaconorum, ac Miniſtrantium ſtatus purgatiuus eſt, & diſcretiuus. Reliqui vero agunt ſtatum Incipientium.

DE ALTARI HOLOCAVSTORVM. QVO OPINATVR LYRA POENITENTIAM VIRTVTEM PRAEFIGVRARI.

Facies & Altare holocauſtorum de lignis Sethin. **Exo. 37.**

Beneplacitum eſt Domino recedere ab iniquitate, oblatio enim iuſti impinguat altare, & odor ſuauitatis eſt in conſpectu Altiſſimi. **Eccl. 35.**

44 POENITENTIA pro peccatorum deteſtatione cum intentione operandi ad eorum deletionem, non tam eſt virtus, quàm quædam infuſa virtutum plurium Theologicarum, & acquiſitarum collectio; quam quia non eſt in alia virtute reperire, ſpecialem virtutem appellant nonnulli. Hanc amplecti deberet, & ſic ſe Deo offerre, quiſquis ad regenerationis lauacrum præſumit accedere.

DE DECEM CORTINIS TABERNACVLVM CONSTITVENTIBVS ET DE SAGIS, ET OPERIMENTIS.

Tabernaculum verò ita facies. Decem Cortinas de byſſo. Facies & Saga Cilicina vndecim. Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum, & ſuper hoc rurſum aliud operimentum de Hyacintinis pellibus. **Exo. 36.**

45 OMNIS autem Tabernaculi ſtructuram Nouem chori angelici, & hominum ordo perficiunt, dum ſpecioſa laude Deum in ſe, & in ſanctis eius omnis ſpiritus laudare iubetur. Cunctas .n. gentes creauit Deus in laudem, & nomen, & gloriam ſuam. Protegitur ſtructura hæc omnis vndecim ſagis. Scripturæ ſcilicet auctoritate. Chriſti viuę vocis oraculis. Apoſtolicis traditionibus. Eccleſiæ catholicæ. Romanæ. Pontificum. Conciliorum. Sanctorum Patrum auctoritatibus. Scholaſtica Theologia. Iure Pontificio. Naturali ratione, quæ latiſsimè patet. Operimento quoq; pellium ex pilis caprarum, pellibusq; arietum; Philoſophorum ſcilicet ratione, cui Ius Cæſareum annexum eſt; Et humanorum actuum hiſtoriis; inter quas hebræorum lex, & geſta, inſignis ſunt catholicæ fidei; & Eccleſiæ confirmatio. Deus enim oſtendit Eccleſiæ ſuper inimicos eius, ne occidas eos. Pſal. 58.

DE IIS, QVI EXTRA TABERNACVLVM INVENTI FVERINT: DE DAMNANDORVM .S. POENIS.

Atrium autem, quod eſt foris templum eiice foras, & ne metiaris illud quoniam datum eſt gentibus. Apoc. Cap. 11.

46 QVI extra Eccleſiæ gremium ſedent, cum filius hominis diuina virtute corpora noſtra eadem numero reparata, & Animas vniuerſali iudicio iudicabit, addicentur perpetuæ damnationi, vt corporali igne, eiuſdem ſpeciei cum noſtro, torqueantur, nec conſumentur.

DE ATRIO TABERNACVLI.

Facies & atrium Tabernaculi. Exo. 37.

De rebus nimirum generationi, & corruptioni obnoxiis. Erat enim Atrium nullo defenſum tecto, vel vmbraculo; imbribus, niui, ſoliq; obuium; eratq; in eo vitæ, & mortis perpetua viciſſitudo. Cuius quatuor partes, quatuor Orbis plagas, vel elementa quatuor expreſſius ſignificare nullo modo poterant. Harum autem rerum cognitio humanis conſtat Philoſophorum ſcientiis; de quibus iſta Decreta ſubiiciemus.

47 QVANQVAM omnes homines natura ſcire deſiderant, non tamen niſi propriis vigiliis ſcientiarum habitus adipiſcemur; quorum vnitas pendet ex formalis, vniuerſaliſq; obiecti, ſed non ſemper realis, vnitate. Ex obiecto quoque diuiduntur in ſcientiam Actiuam, Effectiuam, & Speculatiuam: Et hæc rurſus in Realem, & Rationalem: Realis autẽ per maiorem, vel minorem à materia abſtractionem, ob maiorem addiſcentium commoditatem tripertitò diuiſa eſt in Metaphyſicen, Phyſicen, & Mathematicen.

METAphyſicen fundat entis realis ſpeculatio inquantum Ens; quæ paſsiones entis, Vnum videlicet, Bonum, & Verum, nihil abſolutum, poſitiuum Enti addentes, contemplatur. Deum autem, & Intelligentias non agnoſcit, niſi indutas vniuerſalis cauſę rationem; licèt Ens Deo, & creaturis; ſubſtantiæ, & Accidenti per Analogiam commune ſit. Conſiderat tamen omnium cauſarum genera, docetq; in nullis cauſis eſſentialiter ordinatis eſſe proceſſum in infinitum; Eundemq; effectum à multis cauſis non ſubordinatis totalitatem exercentibus prodire non poſſe. Specialiùs verò partitur ens in Decem Categorias; in ſingulis conſtituens actum, & facultatem, quæ eſt prima

contrarietas, quam ſæpe iactat Ariſtoteles in omni genere reperiri; Singulare,& Vniuerſale; Item vnum, quod eſt aliorum metrum, & cauſa (ſed exemplaris tantùm) omnium, quæ genere illo claudũtur. Subſtantia primum eſt Prædicamentum, Accidentia tempore, natura,& ratione præcedens. Accidens autem; cuius eſſentia eſt aptitudinalis inhęrentia ſubſtantiæ; nouem genera complectitur, non realiter à ſe inuicem diſtincta omnia; & ſuprema quidem omnia ſecundum famam, & rationem; non ſecundum rem. Siquis enim credat Vbi, Quando, Situm, & Habitum extrinſecam tantùm quandam ſubſtantiæ denominationem addere: Ad aliquid inſuper Ens rationis vocet, nullamq; ſtatuat relationem non mutuam, libenter ei adſtipulabimur. Sed quale quale ens ſit;à ſubiecto tamen fundamento realiter ſeparandum non eſt.

48 Mathematice vero ſcientia vna eſt,inuentione, & certitudine aliis prior,ſpeculatiua non cauſarum; ſed rationũ,eius obiectum eſt Ens cum materia intelligibili: Vnde ex toto ſubalternat ſibi Geometriam, & Arithmeticen; Muſicam vero, Perſpectiuam, & Aſtrologiam ex parte. Entia mathematica à ſenſibilibus abſtracta non ſunt, quamuis Mathematica contemplatio à ſenſibili materia abſtrahat. Cæterùm ſiquis Bonum,vel pulcrum neget à Mathematicis, mentietur.

Physica diſciplina nulli ſubalternata, ſed Medicinæ ſubalternans, per Entis ſenſibilis contemplationem aſtruitur. Cuius principia ſunt Materia actu quidem ens, nullum tamen habens actum, nec interminatas dimenſiones, nec vllius accidentalis formæ ſubiectum immediatum eſſe poteſt; Sed eſt potentia eſſentialiter, vna omnium cœleſtiũ, & ſublunariũ, ſufficiens indiuiduationis, ideſt, indiuiduorũ ſub eadem ſpecie multiplicationis principiũ. Quo in ſenſu plurima dicta D.Thomæ accipienda ſunt: Sed conſtitutionis indiuidui principium radicale materia eſt; integrum verò principium eſt multorum connexio,quam non eſt in alio reperire: ſic indiuiduum definiente Porphyrio cap.de ſpecie. Et ex materia intrinſecè omnium natura conſtantium determinatum eſt ſummum,vel minimum. Huic ineſt Priuatio, principium quidem per ſe, nec pura negatio; ſed ſimplex formæ carentia in ſubiecto apto.

49 Forma quamuis non ſit tota rei quidditas; nec eius ſit munus largiri ſubiecto exiſtentiam;quę realiter ab eſſentia ſeiungenda eſt;complet tamen eſſe rei, & eſt nobilior non ſolùm Materia; ſed & compoſito, quod ſecundum ſe eſt terminus productionis, vt quod, addens entitatem realiter à materia, & forma diſtinctam: ſicut etiam totum integrale. De Materia autem & Forma dicitur Analogicè Natura,quę eſt principiũ τȣ̃ κινεῖσθαι.ideſt principiũ paſsiuũ motus,& quietis,&c.

Materia

Materia, & forma vltra hoc ſunt etiam cauſarum genera, quibus adiungitur finis, & efficiens. Efficiens eſt vnde Principium motus; ad quod Caſus, & Fortuna referuntur; quæ ſunt cauſæ per accidens, etiam quandoq; reſpectu cœli, Et quia contingentia oritur ex proximis cauſis; item quia primæ cauſæ coagunt, vt in ſecundis modificatę, ideò referri omnia in ſupremas cauſas contingentiam, & caſualia efficit potius, quàm deſtruat.

Finis eſt cauſa cauſarum, propter quam agunt omnia, cum opus naturæ opus ſit Intelligentiæ; cuius ratio agenti propter finem præcognoſcenda eſt. Finis mouet vt eſt extra, In intentione eſt conditio, in eſſe eſt effectus: Et nullibi finis vt res ponit in numerum cum fine vt adeptio. Paſsionum entis ſenſibilis prima eſt motus, actus .s. mobilis inquantum mobile; Et in pluribus eſt Categoriis; in iis nimirum, in quibus ſunt termini motus, à motu realiter diſtincti, licèt dent illi ſpeciem: Eſt etiam ad primam qualitatis ſpeciem. Actio autem in agente eſt, & non in patiente; quamuis ſit vnus motus cum paſsione: Vnde ſi duas categorias conſtituant, hę diſtabunt tantùm formaliter. Infinitum ignotum eſt; at in potentia (quo modo ſolùm reperitur) eſt paſsio Quantitatis. At quæ de loco diſſerit Ariſtoteles (ſi 41, & 42. tex. quarti libri de phyſico auditu excipias) de loco ſecundum famam dicta ſunt. Locus enim quamuis ſit continentis corporis ſuperficies; immobilitatem tamen, & vim conſeruandi, inſuper & continendi rationem ex certa diſtantia à Cœli circunferentia, & mundi centro nanciſcitur: vnde eius eſt continere non ſeorſum, ſed coniunctim. Et hæc de loco proprio dicta ſunt. Planum eſt enim terram aqua circundatam in aeris medio non ſtaturam; cum tamen in proprio loco quietem habeat. Sicq; Elementa mouentur ad locum, ideſt, ad certam diſtantiam, extra quam non conſeruarentur. Hinc fruſtra exagitatur quæſtio illa, An Cœlum ſecundum extimam ſuperficiem ſit in loco; Loci enim non eſt locus. Sed vtrùm ſola grauia, & leuia ſint in loco?

Vacuum abhorret natura quàm maximè; non tamen eſſet motui impedimento.

Tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius, cuius eſſe completur per animam: & in eo toto innumera ſunt inſtantia ratione, ſed vnum ſubiecto. At quia motus omnis eſt ab immobili, veniendum eſt ad vnum primum mouens immobile.

Præter cœlū ſunt adhuc quatuor ſimplicia corpora, quæ ſingula ſimplici, & recto motu feruntur: Melius tamen per quietē, quàm per motum deſcribuntur: ſicut etiam Graue, & Leue: motus enim accidit elementis inquantum benè diſponuntur, non vt ſunt bene diſpo-

ſita,

ſita. Ignis enim hic ex aliena materia genitus, quò magis extollitur, deponit pondus,& dum fertur ad proprium locum,fertur ad propriã formam, donec ibi omni excuſſo pondere grauitatis eſt verè ignis. Graue tamen, & Leue, & qualitates primæ; licèt non actiuę omnes; & binæ ſingulis elementis aſcitæ,altera in ſummo,altera remiſſe; non ſunt Elementorum ſubſtantiales formę. Mouentur autem grauia, & leuia inſita quadam Qualitate à generante; qua propè finem adaucta velocius mouentur. Proiecta quoq; impreſſa à proiiciente virtute cientur,atq; feruntur. Hæc elementa ſi plura (quamuis non omnia) concurrunt, refractis eorum qualitatibus, formiſq; tantùm virtute manentibus in vna ſequenti forma, fiunt miſta corpora; Alia anima, & ſenſu prædita:alia in anima: Quorum materia (ſi in ſublimi fiant) eſt vapor, & exalatio.

Gignuntur autem, conſeruantur,& intereunt omnia per quaſdam mutationum ſpecies. Generatio eſt totius in totum nullo ſenſibili vt ſubiecto eodem remanente in inſtanti mutatio. Hinc vnius generatio,ſemper alterius eſt corruptio: Licèt non ſit ſemper neceſſarius reditus ad vſque materiam primam. Augmentatio eſt motio viuentis, eiuſdem manentis facta ſecundum formam ab anima, non continua, ex minori ad maiorem magnitudinem, adueniẽte aliquo extrinſeco. Alteratio motus eſt ad qualitatem, in qua ſola eſt intenſio per maiorem perfectionis extenſionem ad nouum terminum; rarefactioni, quàm augmento ſimilior.

De Anima quoq; omni; etiã intellectiua tractatio (præterquàm ſecundum id, in quo intelligentiarum eſſe participat) phyſicum eſt negotium: cuius definitio vniuocè competit tribus animarum generibus; quæ ſi perfectorum ſunt, indiuiſibiles erunt, & inextenſæ. Inſigniturq; ſentiendi vis non purè paſsiua ſenſibus externis quinque, & quatuor internis,concurrente ſemper ſpecie ſine materia, diuiſibili tamen: Et ad actum ſentiendi,neceſſe eſt vt ſenſibiliter recipiatur. De Intellectiua, iam ſupra.

50 Logica ſcientia eſt de Ente verò (quod ſat eſt ad ſcientiæ conſtitutionem) de Ente ſcilicet rationis logico. Huic ad bene eſſe neceſſaria eſt Categoriarum diſciplina, & Vniuerſalium; quæ ſiue tria, ſiue quatuor,ſiue quinque,ſiue ſex ſint,non magni refert.

Nullum ſiquidem vniuerſale eſt ante omnem mentis cogitationem, nullum quoq; à ſingularibus abſtractum. Inter ea Primum eſt Genus, plures ſpecies actu requirens. Poſtremum Accidens, quod adeſt, & abeſt omne,præter ſubiecti corruptionem. Omnes autem logicæ definitiones ſunt intentionum formaliter, rerum denominatiuè. Et quamuis Logice de his omnibus agat,hos tamen labores om-

nes

nes aſſumit in gratiam Syllogiſmi, in cuius ratione voce τεθέντων
ſignificari confeſſa, vna Aphrodiſienſis, & Gulielmi auctoritas ſuffi-
cit. Probari tamen poteſt ex primo Analyticorum Priorum Ariſto-
telis, ex diſcrimine poſito inter λαμβάνειν, ἀιτεῖν, & τίθεσθαι.
Princeps verò Syllogiſmorum locus eſt demonſtrationis, cuius me-
dium eſt ſubiecti, vel paſsionis definitio, quæ non eſt nominis ratio,
vt ex 4. Diuinorum à multis eum locum non attingentibus aſſumi-
tur; ſed oratio ipſius quid eſt explicatiua. Omnem verò Doctrinam,
& Diſciplinam διανοητικὴν fieri ex præexiſtēti cognitione, eſt propo-
ſitio per ſe nota. Ait enim Plato in Sophiſta Διάνοιαν δὲ καλεῖν μοι
δοκεῖς τὴν τῶν γεωμετρικῶν τε, καὶ τὴν τῶν τοιούτων ἕξιν, quæ
(ſubdit Budæus) ἄνευ ὑποθέσεων, intelligi non poſſunt. De ſub-
iecto autem & paſsionibus, quamuis in ſcientiis, ac potiſsimùm in
eis tradendis quid nominis tantùm ſupponatur: In ſcientifico tamen
proceſſu, & erigenda demonſtratione quid rei ponendum eſt: cuius
eſt eſſe medium in demonſtratione: Et de hoc loquitur Ariſtoteles in
præcognitionibus. Scientiarum autem ſubalternatio ex tribus
oritur. Subalternatæ enim ſcientiæ obiectum ſub obiec-
to ſubalternantis eſſe debet: ſecundò, per accidenta-
riam differentiam contrahi: tertiò vt eius prin-
cipia demonſtratiuam euidentiam ſor-
tiantur in, & ex ſcientia illa, cui ſub-
alternantis honor, & di-
gnitas tribuen-
da eſt.

Superiorum conſenſione obtenta.

Vecticum, Paxillorum, Anſularum, Circulorum, Columnarumq; accuratam nimis, prolixam, operoſamq; perſequutionem prudens præterii, ſat habere ratus, ſi potiſsimas, neceſſariaſq; partes Tabernaculum componentes expoſuiſſem. Modò enim de omnibus non eſt dicendum per ſingula. Heb. 9. Itaq; obſecro te lector, vt labores hos quales quales ſint in Tabernaculi ideſt Eccleſiæ ædificationem aſſumptos exiſtimes; & conſilii mei rationem ex Prohæmio Galeato D. Hyeronymi non dedigneris addiſcere. In templo Dei (inquit ille) offert vnuſquiſq; quod poteſt. Alii aurum, argentum, & lapides pretioſos: Alii byſſum, purpuram, & Coccum offerunt, & Hyacinthum. Nobiſcum benè agitur, ſi obtulerimus pelles, & caprarum pilis: Et tamen Apoſtolus contemptibiliora noſtra magis neceſſaria iudicat. Vnde & tota illa Tabernaculi pulcritudo, & per ſingulas ſpecies ECCLESIAE PRAESENTIS FVTVRAEQVAE diſtinctio, pellibus tegitur, & ciliciis: ardoremq; ſolis, & iniuriam imbrium ea, quæ viliora ſunt prohibent.

FINIS.

Diſputabuntur Florentiæ in Aede S. Trinitatis die & Aprilis 1587. hora

2 1019 7

MC